


Kern 250 (1-14)



DE
INNOCENTI
INFECTIONE VENEREA

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D O M I N O

I O A N . C H R I S T L I E B K E M M E

M E D I C I N A E D O C T O R E
E I V S D E M Q V E P R O F E S S O R E P V B L I C O E X T R A O R D I N A R I O
A C A D E M . I M P E R . N A T V R . C V R I O S . S O D A L I

P R A E C E P T O R E S V O L O N G E H O N O R A T I S S I M O

D I E I I . I A N V A R . C I O I O C C L X V I I I .

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

P E T R V S G A B R I E L O W M I L L O R A D O V I C S

M E D I C I N A E E T P H I L O S O P H I A E C V L T O R .



H A L A E M A G D E B U R G I C A E
L I T T E R I S I O A N N I S C H R I S T I A N I H E N D E L .

INNOCENTI
INFECTIONE AENFREIA

PRVLSIDU

AUDI EXCITANTISSIMO AMARISMO ET ELELIMINISSIMO

DOMINO

IOAN. CHRISTIPIR KEMME

MEDICINAL DOCTOR

DISSEMIGAT PROPTER TUMORES EXTRAORDINARIOS

VAGINAE INTER UTERI CAVITATIS SOVIET

PRAEFECTORE ZO TONGE HONORARIOS

DIC LI FAMULARI. CLO IO QDZANH

LAWYCE DIREXATIVIT

ACOTOR

PETRAE GARDINOW MIRPOLIONICS

MAPICHEAE ET INTRODUCTORIE CLOTTA



HAIUS MAGDEBVRGICAE
LIBRARIA IOANNES CHRISTIANI HERMANNI

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

VOLODIMIR GRIGORIEVICS
DE ORLOV

TRVSSIACI IMPERII COMITI

ACADEMIAE

SCIENTIARVM PETROPOLITANAЕ

P R A E S I D I

DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO

HASCE TA QMSSN TIBIO
LITTERARVM PRIMITIAS
DOMINO
V
PERPETVVM PIETATIS MONVMENTVM
INTER ARDENTISSIMA
PRO PERENNI INCOLVMITATE ET SALVTE
VOTA
EO, QVO DECET, ANIMI CULTV,
HVMILLIME
D. D. D.
AVCTOR
PETRVS GABRIELOW MILLORADOVICS.



DISSE

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

INNOCENTI

INFECTIO N E VENERE A.



S. I.

Nolo hic inhaerere iis, quae ad inuestigandam
in rubro dissertationis indicati foedi huius
morbi originem, non solum medici, verum
etiam populi & integrae nationes, taedii ple-
na, protulerunt, cum nihil certi ex delineatione eorum
eruere, aut in vsum nostrum transferre possimus, nisi id,
quod tristissima foetura, se semper propagans, toti eum or-
bi notum reddiderit. Quem quaerentem ita singit poeta:

India me novit, iucunda Neapolis ornat,

Boetica concelebrat, Gallia mundus alit;

Vos Itali, Hispani, Galli, vos orbis alumni,

Deprecor ergo, mihi dicite, quae patria?

A 3

Neque

Neque in notione huius mali condenda & adstruenda multum laborabo, cum eandem, immo tristiorum fere, sortem experta sit. Dici vix potest, in quam diuerfas, hac in re, sententias abeant Medici, aliis corruptionem acrem & viscosam humorum lymphatico-serosorum, quibusdam intemperiem massae sanguineae acido corrosiuan, aliis deprauationem humorum vitalium &c. assumentibus. Ego quidem non ausim, has dirimere lites, atque realem, quam vocant, venereae luis definitio-
nem suppeditare, conuictus scilicet, quam parum plerumque valeamus, si vera miasmatum essentia exacte determinanda sit a). In nominali ergo notione acquiesco. Medici, si no-
verint, eiusmodi humorum massae illatam esse corruptio-
nem, quae a praesentia miasmatis venerei proficiuntur, de exsistentia luis venereae amplius non dubitant. Hinc iam
nominalis patet huius morbi definitio. Quae vero cum non intelligatur, ni miasmatis venerei naturam habeamus cogni-
tam:

- a) Sat spinosae sunt quæstiones, de quibus magna contentione inter medicos disceptatur, sine miasma venereum alcalinae indolis? an acidæ? num salinum? fixum vel volatile? De qua re licet lites mo-
verint, nihil tamen certi determinarunt. Unde recte Illuftr.
SCHACHT in *Institutionibus medicinae practicae* Lib. IX. Cap. II. §. IX.
sane accurate attendenti adparebit, inquit, spissas hic dari tenebras,
neque facile intricatum hoc negotium expediri posse. Quare ne videar

Argutos interstrepare anser olores
specialem determinationem Chemicorum, si eam suscipere velint,
indagationi relinqu.

tam: dotes eius adducam, quas fidelissimae edocent obser-
vationes. Si itaque ea, quae per quotidianam observationem
innoverunt, examinauerimus, deprehendemus, quod mi-
asma hocce a) sit *acre*, quod ipsum exulcerationes, dolores,
ardores & pruritus partium infectarum sat superque pro-
bant. b) *Lento gradu serpendo sepe propaget*. De asserti
veritate nemo dubitabit, qui cogitat, luem venereum mor-
bum esse chronicum. c) *In pinguedinem, mucum &*
lympham praecipue tyrannidem suam exferat. d) *Partes sen-*
siles irritet, inflammet, rodat, easque, quas tangit, exulceret
& in ichorem soluat. Demum e) *C. H. immediate tangens*
eique illatum summopere sit contagiosum. Reliqua fere omnia
miasma, ut exferant vim contagiosae materiae, singularem
sibi, a sanitatis iam statu recedentem, corporis inquinandi
dispositionem vindicant. Miasma vero venereum vix um-
quam.

§. II.

Infectio venerea innocens mihi dicitur labes venerea, orta
a caussa, quae ad productum miasma venereum per actus ve-
nereos, qui illiciti concipiuntur, reduci non potest. Cuius ut,
cum fructu, demonstrem tam possibilitatem, quam existen-
tiam, hoc triplici utar arguento: 1) ostendam, eiusmodi mo-
tum intestinum sponte in humoribus corporis humani oriri
posse, cuius ope non tantum fluida humana corrumpuntur, sed

spe-

specifica etiam illa ratione, quae in morbis venereis obtinet.
2) Euincam, fieri posse, ut sponte in venereum labem abeant tam fluor albus benignus, quam gonorrhoea benigna. 3) Deinde docebo, dari quosdam contagii modos, ita comparatos, ut inde, innocentia plane ratione, venerea labes inducatur.

§. III.

Vt iam *primum* momentum (§. anteced.) pateat: sequentia consideres, rogo:

1) Morbi venerei certe non sunt aeterni, sed, statu demum quodam tempore, homines adstringere coeperunt. Necesse itaque est, ut statuamus, exstitisse quondam hominem, quicunque etiam fuerit, qui omnium *primus* miasma contraxit venereum. Huius in eo causa non potuit esse contagium venereum, ab alio quodam homine suscepimus. Hinc *vel* alia quaedam externa, *vel* interna causa. Si *hanc* tibi assumere placuerit: concedere te oportet, fieri posse, ut miasma venereum sponte in fluidis corp. human. oriatur. Quodsi vero *illi* magis faueas: eam non, nisi dupli ratione, concipere poteris. *Vel* enim miasmate fuit venereo iam inquinata, *vel* non. Pone *hoc*. Ergo causa illa externa facultate tantum praedita fuit, fluida corp. hum. in eiusmodi motum intestinum abripendi, quo suberto nascitur venerea materia. Hinc ortus morbi venerei, in eo casu, non soli causae isti externae, sed

sed quam maxime etiam mixtioni & essentiae fluidorum corp. hum. adscribendus esset, sponteque exinde seque-
retrur, miasma venereum, absque illa caussa externa, in corp. hum. produci posse, si congruus modo intestinus fluidorum motus oriatur. Atqui motus intestini praeter-
ternaturales affectiones gradu tantum differunt, inque corpore humano, docente id putredine, summus motus intestini gradus effici potest. Quare, illa admissa senten-
tia, sponte in corp. hum. nasci venerea materia posset.
Concipe demum *illud*: certe ad animal demum quoddam
brutum confugere te ultimato oportebit, quod, miasmate
venereo inquinatum, homini eandem intulisset labem.
Sed mixtiones fluidorum, quae replent animalium corpo-
ra, generatim consentiunt. Quod ergo, ex morbo quo-
dam, in animali bruto miasma venereum ortum esse con-
cipitur, id, simili ratione, potest in corp. hum. enasci.

§. IV.

- 2) Notatu digna est obseruatio *Celeberr. b. m. HVNDERT-*
MARCK, quam descriptis in Progr. de *Ozaena Venerea*
Lipf. 1758. pag. 4. *Toties*, inquit, *repetita cognoui experi-
entia, hominem, nulla prorsus labe venerea adspersum,
humoribus tamen acrioribus & putridis refertum, uno
verbo scorbuticum, simul atque cum femina libidinosa,
intemperante, ijsdem quidem humoribus adfluente, ab illa*

B

ta-

tamen lue turpiori etiam non polluta, eo in primis tempore rem habuerit, quo menstruum calidius & aerius effuderit, vel impuriori laborauerit albo fluore, continuo iisdem correptum fuisse symptomatibus, quo vexari consuerunt, qui ipsum venenum venereum ex impuro hauferunt coitu, virinae difficultate, ardore, acrioris & putridae saniei profluvio, indeque, si fuerit suppressum, effecto bubone, inflammatione & exulceratione, item tumore crystallino praeputii, glandis cancrosa erosione, & innumeris aliis malis, morbo venereo vere propriis. Ergo materia scorbutica, mirum in modum exagitata, in veneram abire potest. Nonne itaque motus etiam fluidorum intestinis, a causa interna ortus, miasma venereum excludere valet? Materia saltim scorbutica, eo solo praesente, suboriri potest:

§. V.

Corruptio, luem veneram fistens, ex stasi humorum in loco calido, concorrente aëris adiumento, generari potest (per princ. Chem. & §§. pr.).

§. VI.

Eiusmodi stasis, observationibus practicis id ipsum testantibus, in corp. hum. partibus reperiri, nemo inficias ibit. Contemplantes enim structuram vteri eiusque vaginae, nec non quantitatem muci in fluore albo, de possibiliitate stasis certi esse possumus. Sed contingit etiam aëris accessus ad has

has partes. Quare fieri quoque potest, ut eiusmodi suboriantur fluidorum stagnantium motus intestinus, qui venerei miasmatis causa existit (§. V.). Quare de transitu fluoris albi benigni in venereum spontaneo dubitari nequit. Genesin autem luis venereae ex fluore albo maligno facilem esse, docet quotidiana obseruatio b).

§. VII.

Caussae, determinantes fluorem album, erunt quoque caussae possibles luis venereae. Id docent Pathologia & §. anteced. Cum autem fluor albus a pathologis nuncupetur maior muci eiusque vaginae excretio, quam ad sanitatem requirebatur: sequitur, caussas, maiorem excretionem muci ex

B 2

utes-

- b) Cum singulis hisce consona quoque deprehenditur esse experientia. De transitu fluoris albi benigni in malignum, praeter caeteros legi meretur casus, in dissertatione *de fluoris albi benigni in malignum transitu sine praevio contagio*, sub Praesidio Ill. BOEHMERI, Praeceptoris ac Fautoris mihi plurimum venerandi, delineatus. Idem casus probat, quod fluorem album excepit lues venerea. Complura hic adhuc dici possent. De quibus, ne actum egisse videar, Lectorem ad euoluenda scripta *Nicolai de ELEGNY*, Chirurgi Parisiensis, in libro *l'art de guerir la maladie venerienne*; *Iohan. Baptiste de SYNIBALDI de geneantropia lib. IX. Tract. II. Ill. b. m. HOFFMANNI Med. syst. ration. Tom. IV. Part. V. Cap. IV. nec non SYDENHAM Oper. omn. Tom. I. Epist. II. de Lue venerea, & ASTRYC de morbis Vener. Libr. V. Cap. XII. remitto.*

vtero eiusque vagina determinantes, inter caussas possibles fluoris albi venerei esse referendas (§. V.), adeoque & luis venereae. De his vero caussis pluribus conf. *Dissert. Illustr.*
BOEHMERI m. c.

§. VIII.

Supra allatae caussae hanc tragoediam ludere quoque possunt in gonorrhœa benigna. Vnde de transitu gonorrhœae benignae in malignam, huius vero in luem venereum neutiquam dubitare possumus. Transitus nempe gonorrhœae benignae in malignam sibi vindicat mutationem materiae minus venereae in venereum (per princ. Path.). Haec vero ex stasi humorum oriri potest (§. V.). Iam admitte, semen & liquidum prostatarum glandularumque vrethrae in maribus stagnare, (quod certe in gonorrhœa benigna multifaria ratione fieri potest): nonne concedes, posse eadem, temporis mora, in istam quoque putredinem abire, quam miasma sibi vindicat venereum? Nonne qui haec, aequa animi lance, perpendit, tuto inde colliget, mutationem gonorrhœae benignae in venereum esse possibilem? Mutationem vero gonorrhœae malignae in luem venereum, nemo, qui leui tantum brachio artem medicam attigit, in dubium vocabit c).

§. IX.

c) Ut igitur horum, quae de transitu gonorrhœae benignae in malignam diximus, eo magis adstruamus certitudinem, non abs re erit,

§. VIII.

Quo maior ergo est, quae obtinet in partibus genitalibus, debilitas, & quo diutius fluida ibi quiescunt: eo facilior erit

erit, nec a scopo, quem nobis praefixum habemus, alienum, ex obseruationum penu paucas easque potissimas hoc loco delibare. Confer. ergo KRVGERVS (*Naturlehre Th. III. §. 446. pag. 589.*), de puer, annorum quatuordecim, ex gonorrhœa primo benigna, dein vero maligna laborante, historiam narrans. Neque minus ANONYMVS, qui in *Promptuario Hamburgenſi* (vol. XVII. pag. 133 - 160.), se quoque in canibus & duobus hominibus transitum gonorrhœae benignae in malignam obseruasse, testatur. Carol. Frid. HVNDERTMARCK l. c. quoque sine yllo contagio exortam esse gonorrhœam virulentam ex obseruatis se eductum esse, innuit (§. IV.). Videatur etiam Iohan. Friderici CLOSS dissertatio inauguralis medica, *de gonorrhœa virulenta sine contagio nata*, Tübina. 1764. Praeside Celeb. SIGWART hab. Elegans hic habetur obseruatio. Narrat scilicet, se ortum gonorrhœae benignae, in adolescentie annorum octodecim, post accurate institutum examen, e manutuprione sola, eaque, in medio operis, saepe exhibita, obseruasse; quam tandem, successu temporis, in gonorrhœam malignam degenerasse probat. Initium denique gonorrhœae virulentæ, post frequentiores pollutiones nocturnas, obseruauit Exper. PRAESES. Adolescens innocentissimus, XX. circiter annorum, ab omni consortio venereo remotus, inde tamen a XIV. anno paullo frequentiores feminis ejaculationes nocturnas expertus, vitaque sedentariae addictus, de feminis quondam, præputium inter & glandem restituantibus, particulis accuratiis eluendis

B 3

parum

erit tam transitus fluoris albi benigni in venereum & gonorrhoeae benignae in virulentam, quam ortus luis venereae d).

§. X.

Contingere etiam subinde potest, vt, praesente gonorrhœa benigna, vel fluore albo benigno, accedat alias morbus, ex humorum acredine ortus, scorbutus præcipue, ulcera qualificata &c. Id si fiat: materia, sub istis morbis excernenda, non solum acrior, sed magis etiam ad ineundum motum intestinum, prona euadet. Nonne itaque tunc, admissis præcipue cauissis, acrimoniam acutibus motumque particularum adiuuantibus, fieri quoque potest, vt ex fluore albo benigno vel gonorrhœa benigna, fluor albus malignus, vel gonorrhœa maligna enascatur, hincque deum lues, quae venerea vocatur?

§. XI.

parum sollicitus, paucis interiectis diebus de pruritu & dolore glandis conqueri coepit, saniem simul foetidissimam e genitalibus fluere, fulgure quasi tactus, videns. Materia effluens venereae simillima erat, vt iurasse, hominem sibi, ex coitu impuro, venereum contraxisse labem. Morbus interea curabatur primo statim die, ea scilicet methodo, quam in gonorrhœae virulentæ prima specie commendat BOERHAAVIVS (*de lue aphrodis.* pag. m. 125.), frequentiori imprimis ablutione.

d) Ergo fluor albus benignus, continuo durans, facilius in venereum transire debet.

§. XI.

Quo acriora ergo sunt, quae partibus genitalibus inexistunt fluida; quo propius praesens eorum acrimonia ad miasmatis venerei naturam accedit (§. I.); quo magis demum haec, ut ita dicam, incalescit (§. IV.): eo citius faciliusque praediatus transitus (§. antec.) contingere potest e). Numquid etiam lues venerea, simili ratione, sine praevio fluore albo venereo, aut gonorrhoea venerea, nonnumquam nascitur? Vid. §. IV.

§. XII.

Haec sunt potiora, quae, de transitu spontaneo fluoris albi benigni & gonorrhoeae benignae in venerea mala, delibanda esse credidi (§. II. n. 2.). Malum in his paucioribus subsistere, quam, prolixiora tradendo, patientiam Lectorum

fati-

e) Explicatur hinc casus supra (§. IV.) allatus. Intelligitur quoque, ob quam caustam miasma venereum in calidioribus regionibus frequentius facilisque generetur, quam in frigidioribus. Mulieres cerre, quae calidores incolunt regiones, sanguinem summopere acrum & corruptum effundere dicuntur. Testantur id ii, qui itinera fecerunt, & ex his ASTRV. In tanta ad putredinem proclinitate miasmatis venerei, quae ibi occurrit, frequentia miranda non erit. Qui demum effectus pensitat, quos exserit horrendum & detestabile peccatum, quod adeo masculine descripsit TISSOT (*L'Onanisme ou Dissertat. phys. sur les maladies produites par la Masturbation*), sine omni opera cognosceret, quam facile fieri debat, ut gonorrhœam benignam, inde enatam, virulenta excipiat. Confer. n. c.

fatigare. Ad singula attentio reliqua facili opera edocebit. Qui vero ortum luis venereae, ex caussis supra allegatis, re-
ete considerauerit, ille non solum eo facilius ad sensum praebet propositioni nostrae (§. II.), sed ratio etiam constabit ipsi, quare omnis actas ac sexus huic morbo innocenter succumbere queat. Nunc autem ad tertium momentum (§. II.) transeo.

§. XIII.

Miasma venereum in corp. hum. oriri potest ex transi-
tu materiae eiusdem indolis ad corpus humanum facto (§. I.). Quare quot dantur huius transitus modi, tot etiam erunt contagii venerei diuersitates.

§. XIV.

Pone iam sanguinem, qui nutritioni foetus inferuit, miasmate quodam, & venereo quidem, infectum esse: nonne tunc foetus eiusdem mali, idque innocentia plane ratione, particeps erit? Ast ne argutari nudisque saltem ratiociniis pugnare videar: casum subiiciam, quem clinicam praxin, ductu *Illust. IVNCKERI*, Praeceptoris ac Fautoris longe honoratissimi, facienti consignare mihi licuit. Puer, annorum nouem, phaenomenis, ad dignoscendam luem venereum sufficientibus, affectus deque eo profligando sollicitus, conuenit Praeceptorem modo laudatum, Virum eximium & in arte medica versatissimum, eius simul opem implorans. Non potui-

potuimus ab initio mali originem vlo modo determinare. Accersita vero dein eius matre: ea statim innotuit. Fatebatur enim, se tempore grauiditatis, illa lue vexatam esse. Vnde videre est, euolutum miasma originem traxisse a matris sanguine f).

§. XV.

Maritus, venerea labe infectus, ruens in vxoris innocentissimae amplexus, cum hac primo, dein cum foetu miasma venereum communicat. Innocenti id suscipiunt ratione. Lege obseruationem, quam narrat ROSEÉN loc. cit. pag. 560. & aliam, quam IDÉM EX FORESTO pag. 556. affert g).

§. XVI.

f) Similes obseruationes collegit ROSEÉN (*von den Kinderkrankheiten* pag. 556. seqq.). Ex allato caeterum casu non solum pater, luem venereum posse morbum haereditarium sistere (male ergo *Clariss. MEDICVS in der Samlung von Beobacht. aus der A. W. Th. II.* pag. 744. 751. morborum haereditariorum possibilitatem negat), sed docet etiam, quod praeceipue notari deberet, per quam longum nonnumquam tempus miasma venereum, sine notabili noxa, corpori inhaerere possit. Neque bene ideo generatim dixit ROSEÉN (l. cit. p. 562.): *Bey Kindern kommt dieses Gift bald zum Ausbruch.*

g) *Vir quidam*, inquit FORESTUS (*de lue venerea. Obseruat. II.*), *in Haga Comitis alopecia venerea laborans*, cum uxorem formosam duxisset, eadem lue ipsam infecit. Peperit illa inde & puellam infantulam, quae in utero matris codem malo affecta, cum nutrici honestae, licet tenuioris fortunae, commissa esset, ipsa etiam matrix

C

eadem

§. XVI.

Ex physiologicis constat, sanguinem esse fluidorum secretorum fontem. Illa itaque fluida, quae a sanguinis oceano secernuntur, qua talia, iisdem particulis acribus, quibus ipse met refertus est, scateant necesse erit. Cum autem lac natales suos a sanguinis massa mutuerit: iisdem particulis nocuiis, quas illa continet, inquinari debet, quando illi sanguinis parti inexistent, quae lactis secretioni proprius inferuit. Si itaque admiseris, foeminas, infantes lactantes, laborare sanguine, miasmate venereo infecto: neutiquam de infectione innocentis infantis dubitaribis (§. I. γ. & §. XIII.) b).

§. XVII.

Per poros, quos curis superficies sistit, sudor educitur, docente id Physiologia. Is autem, cum a sanguine secernatur, iisdem refertus sit particulis, quibus sanguinis pars serosa impraeognata fuit, oportet (§. anteced.). Quemadmodum autem vas, fluidum excernetia, superficie corporis terminantur: ita quoque resorbentia ibidem deprehendi, in

Anato-
eadem luc infecta & correpta est: & denuo duo alti infantuli ipsius
nutricis, tum & filia ipsius nutricis sex annorum. Notat FORE-
STVS, AMATVM similem fere narrare historiam.

b) Neque in hac re destituti sumus experientiae & observationum consensu. Ipse SYDENHAMVS, egregius huius mali delineator, loco supra citato, pag. m. 205. quando per generationem ac lactationem propagari hoc malum innuit, propositionis veritatem abunde confirmat. Videatur quoque ROSÉEN l. c. p. 571.

Anatomicis & Physiologicis cuietum est. Conf. de ista re *Perilliſtr. HALLERV. in Element. Physiolog. Corpor. human.* Tom. V. Libr. XII. Sect. II. §. XX. p. 85. seqq. Haec vero, per leges determinatas, resorbant materiam cum sanguine communicare valent; quo peracto, nihil obstat, quo minus idem, si materia resumta corrupta & vi, fluida sana sibi assimilandi, praedita fuerit, inficiatur. Iam concipe tibi, subiecti venerei sudorem transferri per vasa bibula ad aliud subiectum: opus tunc erit, ut cutis primo, ipse vero dein sanguis vim veneni venerei experiat. Hunc contagii modum variae docuere obseruationes i), licet, a nonnullis, plane negatus, saltim in dubium vocatus sit (*Perilliſtr. HALLERV. l. c. pag. 88.*).

§. XVIII.

Infantes & pueri, vtpote quibus laxior contigit cutis, facilius materias, cuti applicatas, resumunt. Quare necesse

C 2 est,

i) Confer. Illustr. b. m. *HOFFMANNVS in Medic. System. ration.* l. c. Obseruat II. quo in loco, puerum annorum duodecim, ex conversatione cum famulo, gonorrhœa maligna laborante, ob receptum, per vasa cutis inhalantia, viru venereum, in pessimam incidisse luem venereum, docet. Casus, quem *Guil. Fabric. HILDANVS in Obseruat. Chirurg.* Centur. V. Obseru. XCVII. narrat, non minus notabilis est. Vir enim honestus, qui, iter faciens, cum venereo famulo cubat, labem inde contrahit venereum. Redux vxorem, tres infantes, & ancillam inquinat. Confer. etiam *HALLERV. loc. cit. pag. 88.*

est, vt cum his, prædicta ratione (§. antec.), miasma venereum citius faciliusque, quam cum aliis, communicetur. Quia in re omnes consentiunt. Vid. *Illuftr. b. m. HOFFMANNVS l. m. c. ROSÉN l. c.* Nonne vero sexus amabilis, ob eandem rationem, mala venerea facilius incurrit?

§. XIX.

Miasma venereum sero & lymphae praecipue inhaeret (§. I. γ.). Lues itaque venerea saliuam etiam inquiet, necesse est. Quodsi ergo haec, materia venerea scatens, vasis absorbentibus sani corporis adplicetur: fieri facile debet, vt huic, innocentissima saepe ratione, lues inferatur venerea. Basia hinc ^{k)} & suetio infantum venereorum ^{l)} contagium propagant.

§. XX.

Cum vasa corporis humani inhalantia admotam ipsiſ materiam venereum recipere queant: sequitur, ſanum hominem,

k) Res ſatis nota exemplio vix opus habet. Vnicum adieciām. *Sacerdotem Alcmariae cognoui*, inquit *FORRESTVS* (loc. cit. pag. m. 72.), *multis abhinc annis*, cum puer eſsem, adeo facie deturpatum ex lue venerea, ut videretur leproſus *& carcinomatē totius faciei infectus*: hic ebrius exſilens, cum publice choreas in platea duci videret, ac puellulas cantillantes, eas accedens, unamque ex formolis inuitam osculatur, ſolo oſculo ipsam eadem lue infecit. Similem obſeruationem tradit *ROSÉN l. cit. p. 556. cx LINDESTOLPII trāt. de morbi veneſ. pag. 35.*

l) Confer. not. *b. ROSÉN l. c. pag. 561.*

nem, innocentia etiam ratione, labi venereae obnoxium reddi posse, si partes genitales venereorum *m*), aut cutim eorum, exanthemate venereo foedatam *n*), diu tangat, vel corpora alia, miasmate venereo inquinata, aut manu teneat, aut corpori suo admoueri patiatur *o*).

§. XXI.

Cutis tenerior minus resistit; calor laxat vasa motumque intestinum adiuuat; dilata denique abluitio partium, quibus admota fuit lenta, sed contagiosa materies, efficit, ut huic, corpus ingrediendi, concedatur tempus. Quare quo teneriora sunt loca, quibus applicatur materies venerea; quo magis incalescunt illa & sudant, quoque diutius miasma venereum, partes tangens, retinetur: eo facilius eoque certius contagium venereum propagabitur.

C 3

§. XXII.

m) Chirurgi & obstetrices hinc morbos venereos nonnumquam contrahunt. Vid. memorabile huius rei exemplum in *Journal de Médecine &c.* Tom. X. Fevr. 1759. quod legi potest in *der neuen Sammlung auserlesener Wahrnehmung aus allen Theilen der Arzneylev.* Erst. Band. pag. 219. seqq. Non absimiles casus litteris mandauit ASTRVY, ex aliis desumptos. Miror itaque, dici potuisse; nostris temporibus, hac ratione morbos venereos non propagari. Abluitio manuum forsitan impedit, quo minus eiusmodi casus frequentiores obseruentur.

n) ASTRVY l. c. Libr. II. pag. m. 62. seq.

o) HILDANVS l. cit. Centur. I. Observ. C. tristem consignauit historiam, quae huius rei exemplum præcitere potest. Verum in re nora non multus sum.

§. XXII.

Generatim hucusque docui, qua ratione fiat, ut labes venerea, innocentia plane ratione, latius serpere queat. Atque haec, ad comprobandum assertum (§. II. n. 3.), sufficere iudico. Posset quidem explicationis filum longius extendi, si omnia momenta, quae ad illustrandam hanc rem faciunt, tradere vellem; sed cum, pro instituti ratione, pertexta sit tela, in praedictis acquiescere satius esse censeo & conuenientius. De propagatione morbi venerei, quam, absque immediato contactu, perfici posse, nonnulli arbitrii sunt, nil dixi, cum tot exstant obseruationes, quae, illam fieri non posse, luculentissime euincunt. Qua de re ASTRVC dignus est, qui conferatur. Neque minus VALENTINI in *Pandect. medico - legal.* Part. I. Se^t. II. Cas. XII.

§. XXIII.

Cum miasma venereum sibi semper sit simile: innocentia etiam ratione corpori illatum non poterit aliis symptomatibus stipari, quam quae morbis venereis in Pathologia adscribuntur. Quare, ex instituti ratione, haec symptomata omitto, ad signa innocentis infectionis venereae tam diagnostica, quam prognostica enodanda me accingens.

§. XXIV.

Atque primo quidem, quod diagnosin attinet, factam nimirum esse, innocentia ratione, venereum infectionem: huius signa composita esse ex morborum venereorum & innocentiae signis, vltro attendenti patet. Priora ex Semiologia constant atque ex iis, quae eleganter, ut solet, *Illustr. RO-*
mos undam do SÉEN

SÉEN I. c. tradidit. His itaque recensendis supersedeo. Posteriora vero desumi praeципue possunt ab innocentiae notis generalioribus; ab aetate; a loco statim in principio morbi affecto; a noto demum innocentis subiecti cuiusdam cum vereis commercio. Plura sine dubio, & specialia quidem, dantur huius rei signa. Sed haec, in casibus, quae in vita media occurruunt, saepe quam maxime vtilia, acumini cuiuslibet Medicis relinquenda esse duco. Generalia hic apposuisse sufficit.

§. XXV.

Prognosis morborum venereorum, qui innocentia infectioni natales suos debent, alias ab ea non recedit, quam in casibus, innocentia infectioni oppositis, formare Semiolum oportet. Interdum vero satis ab ea differt. Nonnumquam enim labes venerea, innocentia ratione illata, malitia superat eam, quae aliunde originem suam sumit. Potest scilicet a vitio alte radicato pendere. Cum interea aetius venerei, sua natura, vim materiae contagiosae acuant: fieri omnino potest; ut innocens infectio morbum venereum producat leuiorem faciliusque sanabilem.

§. XXVI.

Atque hic filum abrumpo. Quae enim de methodo medendi dici adhuc possent, cum a curatione morborum venereorum, alias vtili, vix abludant, recte omittuntur. Eo modo respiciat Medicus, ut vitium corporis, quod caussa nonnumquam remota miasmatis venerei existit, exacte, quantum fieri potest tollat, curam saepe diu continuer, ne malum repullulet, atque aegro caussarum occasionalium fugam commendet.

AVCTORI



AVCTORI


IOANNES CHRISTLIEB KEMME.

Non cogitassem de his litteris, quas tibi nunc inscribo, AESTYMA-
TISSIME MILLORADOVICS, ni e re tua fore credidisset, si meo
eriam testimonio constet, verum te esse huius speciminis auctorem.
Materies scripti, ordo veritatum, harum summa argumenta a te
proficiuntur. Pauca adieci ego, nonnulla mutavi, non necessitate
quidem ad id impulsus, sed tua potius modestia coactus, cui satis-
faciendum esse duxi, ne vila in te tibi deesse viderer. Gratulor ita-
que tibi de egregio acquistae scientiae specimine, quod propediem,
me teste, strenue, credo, defendes. Gratulor etiam de vita acade-
mica, hucusque cum insigni laude acta! Vale, PRAESTANTISSIME CANDI-
DATE, meque in tuis habere numquam desine. Dab. in Frideric.

d. XXIX. Decembr. MDCCXLVII.

decorata ex aucto suo secunda editio eiusdem opus
ex munitione eiusdem a quo missum est librum ibidem
cum oī. auxiliario ebor. tradidit. illi aucto curacion
mudatio filii eius boni. etiamq. eiusmodi. et q. eis
recomendatio. et alio. quod in libro eiusdem
mudatio p. milleti enuntiatur. et hoc auctor
obligatus magis quam minus hoc in libro dixisse
MOTTOVA

71 CA



DE
INNOCENTI
INFECTIONE VENEREA

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO A

D O

IOAN. CHRIS.
MEDICIN
EIVSDEMQUE PROFESSOR
ACADEM. IMPER.

PRAECEPTORE SVO

DIE II. JANV

P V B L I C E

A
PETRVS GABRIEL
MEDICINAE ET I



HALAE MA
LITTERIS IOANNIS

